

VIII. Quid sibi vult vox *ephphetha*? Resp. esse vocem Chaldaicam significantem *adaperire*: retentam vero ab evangelista ob majorem auctoritatem, reverentiam et *emphasim*; alludit enim ad vaticinium Isaïæ de Christo prophetantis, c. XXXV. *Tunc aures surdorum patebunt, et aperta erit lingua mutorum, quod in hoc miraculo completum est.*

Porro observat Salmeron, quatuor potissimum esse, quæ homo aperire debeat; primo, intellectum, ut Deo cognito cætera omnia spernat, adeoque hæc duo sciat; Deum esse omnia et se nihil, in quo veram scientiam sitam esse dicebat S. Laurent. Justin. apud Sur. tom. II. Secundo, voluntatem, ut cor amoris ac timoris divini clausum incipiat Dei bonitatem degustare. Tertio, os, ut gratias agat Deo, proximum doceat et soletur, peccata propria confiteatur. Quarto,

manum, juxta id Prov. XXXI. *Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem.*

IX. Cur præcepit, ne miraculum evulgarent? Respondet primo, ven. Beda, hom. in hoc evangel. « An forte nobis exemplum dare. voluit, ut virtutum opera facientes, vitium jactantiæ per omnia, gloriamque vitemus humanam, ne bona nostra actio per inanem vulgi favorem, supernæ retributionis munere privetur? Et tamen sciamus opera nostra, si digna imitatione sunt, nullatenus posse celari, sed ad utilitatem fraternæ correctionis ipso dispensante patefieri. »

Secundo, respondet S. Aug. I. IV. de consensu, cap. IV. « Ut quid hoc præcipiebat, nisi quia pigris volebat ostendere, quanto studiosius, quantoque ferventius eum prædicare debeant, quibus jubet ut prædicent, quando illi, qui prohibebantur, tacere non poterant? »

AUCTARIUM.

CONCIO I.

PROXIMUS OMNI CONATU AD CHRISTUM ADDUCENDUS.

I. Opus hoc divinum et nobilissimum est. — II. Qui huic operi incumbunt, veri sunt Christiani. — III. Præcipit hoc idem charitas fraterna. — IV. Suadet id ipsum fructus incomparabilis. — V. Varii sunt modi proximum lucrandi.

THEMA.

Adducunt ei surdum et mutum. Marc. V.

Nosse vos credo, auditores, ex vitis ss. patrum beatum Nonnum episcopum Antiochenum, quando Antiochiæ transeuntem vidit mulierem peccatricem, miro corporis cultu ornatam, largiter flevisse, seque ipsum redarguisse, quod ipse tantam animæ suæ, virtutibus expoliendæ, nunquam adhibisset curam, quantam mulier illa corpori suo fucando impendisset, Jac. diacono, auctore vitæ S. Pelagiæ. Idem probe accedit mihi, auditores, dum partim in aliis evangeliiis aspicio Judæos pro salute proximorum, non animæ, sed corporis dumtaxat, tam sollicitos ac solertes, ut, proh dolor! longe superent curam nostram, quam de proximorum, non temporali sed æterna, non corporis sed animæ gerimus salute. Ecce enim illi adducunt Christo surdum et mutum, et pro eo deprecantur ut imponat illi manum, cum tamen miser ille posset absque duce ad Christum accedere. Rursum, Marci VI. adducunt ei cæcum: alibi afferunt pa-

ralyticum in lecto jacentem, et cum per ostium non possent, intulerunt per tectum et demiserunt ad pedes Domini, Luc. V. alibi, intellecto Christi adventu in terram Genesareth, percurrentes universam regionem illam, ceperunt in grabbatis eos, qui se male habebant, circumferre, ubi audiebant eum esse, Mar. VI. Quis, rogo, nostrum tantam habet curam, de salute proximorum æterna? Jure igitur merito nos ipsos reprehendimus, ob talem et tantam ignaviam. Quam ut excutiamus, evigilemus, obsecro, et audiamus rationes, quæ nos excitare debent, ut salutem proximorum sollicitè queramus, adeoque deviantes ad Christum adducamus.

I. Opus hoc lucrandi animas plane divinum est et omnium nobilissimum, quod ita extollit Clemens Alex. I. I. stromat. « Maximum est et perfectissimum bonum, quando a male gesta faciendo et a re male gesta virtutem et bonam actionem possit quis aliquem traducere. » S. vero Chrys. hom. XXXV. in I. ad Cor. « Nihil, inquit, adeo potest nos Christi efficere imitatores, ut erga proximum cura. Sed licet jejunando, humi dormiendo, corpus maceraveris, nullam autem proximi curam habueris, nihil egregium feceris, sed adhuc longe ab hujusmodi abfueris imitatione. » Neque hoc mirandum: lucrum enim animarum unica fuit causa, quæ de cælo Christum in terram adduxit; quem proinde imitantur qui ad ipsum adducere stu-

dent animas. Imo talis ipsum quasi *os Dei* appellatur, Jer. XV. ut exponit idem Chrys. ho. III. in eandem ep. « Nihil est, inquit, quod anima possit æquiparare, ne universus quidem mundus. Itaque, si et immensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris, si unam converteris animam. Qui enim educis pretiosum ex indigno, tamquam os meum erit, inquit Jerem. etc. » Tales enim sunt Deo simillimi et conjunctissimi, ut idem explicat, orat. V. contra Judæos. Et quia: « Per talem Deus verba sua exerit, qui ab amore præsentis sæculi, loquendo qua potest, humanam animam evellit, » ait S. Greg. XXVIII. mor. c. XXIII. Qui etiam XXXIV. mor. c. VII. ait: *Nullum Deo tale sacrificium, quale zelus animarum.* Denique, Theophyl. in c. I. ad Heb. *Angelicum est, inquit, mortalium saluti inservire.* Id enim faciunt angeli custodes: quemadmodum et angeli, qui Lothum eduxerunt e Sodomis, angelus Tobia, etc.

II. Qui huic operi incumbunt, veri sunt Christiani et Christi amatores. Testatur hoc idem S. Chrysostomus, in hom. de S. Philogonio: *Non est, inquit, qui proinde declaret doceatque quis sit fidelis et amans Christi, quam si fratrum curam agat, proque illorum salute gerat sollicitudinem.* Et in hom. de hab. cura salutis proximi, tom. I. « Hæc summa vitæ nostræ est, hoc signo internoscimur an Christiani simus, cum non solum quæ nostra spectamus, sed et membra nostra perversa corrigimus et instruimus: » rursus, hom. LX. in Matthi. « Non est nobis satis ad salutem quod virtuose ipsi vivamus, sed oportet aliorum salutem reipsa desiderare: » alibi vero negat esse Christianos, qui hoc ad se spectare negant, uti hom. XX. in Acta apost. « Qui aliis non est utilis, inquit, dic mihi, quomodo erit Christianus? Si fermentum commixtum farinae non commutarit totum in alium habitum, numquid fermentum tale est? Quid etiam si unguentum non implevit odore accedentes, unguentumne dicemus? Ne dicas: Impossibile est mihi adducere alios: nam si fueris Christianus, impossibile est ut hoc non fiat, etc. » Hebræis legem datam scimus, Exod. XXIII. « Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduce eum: si videris asinum odientis te jacere sub onere; non præteribis, sed sublevabis eum eo. » Quomodo non centies magis incumbit Christiano, ut ne pertranseat errantem proximum suum, aut sub peccati onere jacentem, sed quibus potest modis, manum ei porrigat, et humo sublatum ad Christum adducat?

III. Præcipit hoc idem charitas fraterna, imo et lex naturalis; videmus enim et bestias sibi

mutuo sæpe opem ferre in periculis constitutis. Elephas, si in foveam cadat, protinus cæteri congerunt ramos, moles devolvunt, aggeres construunt, omnique vi conantur eum extrahere, teste Pl. lib. VIII. cap. VIII. scari pisces captivos suos e nassis extrahunt mira dexteritate, caudis eorum mordicus apprehensis, eodem auctore, l. XXXII. c. II. « Sic nautæ (homines alioquin barbari) quoque faciunt, ait S. Chrys. serm. de hab. cura proximi, cum per magnum et spatiosum mare navigant; licet navis secundo vento feratur, licet omni fruantur securitate, cum tamen viderint alios vel a longe naufragium facere, non ad propriam spectantes utilitatem illorum contemnunt calamitatem; sed sistunt navem et ejiciunt anchoras, detrahunt vela, ejiciunt funes, projiciunt tabulas, ut ille, qui a fluctibus mergitur, forte aliquo illorum arrepto immergat. » Denique, errantem viatorem si quis animadvertat, illico de errore admonet et ad viam reducit, uti vir ille ignotus qui aberrantem in agro Josephum puerum videns, statim interrogavit quid quæreret, et indicavit ei fratres quos quærebat, Gen. XXXVII. Cur non millies magis sollicitus sit homo, ut deviantem ab æterna salute animam reducat ad semitam? Homo enim animal sociale, non sibi tantum attendere, sed et proximo suo debet. Unde S. Leo, in serm. de S. Laurent. *Nullus bonus, inquit, sibi solus bonus est, nec cujusquam sapientis, sibi tantum amica est sapientia: et hæc verarum natura virtutum est, ut multos a tenebroso abluant errore.* Laudat eo nomine justum Loth S. Chrys. hom. XLIII. in Gen. quia hospites viatores (angelos duos) e nocturnis tenebris eripere volens, pertraxit in domum suam, ne foris in plateis manentes, contumeliam paterentur ab impurissimis civibus; et tum subjicit: « Qualem igitur habebimus defensionem, cum justus nec filiabus parcat, ut hospitem servet curam; nos autem ita immisericorditer erga fratres nostros afficimur, et sæpe tam frigida et absurditatis plena verba proferimus? Quid enim, inquit, mihi cum eo commune? Mihi non est cura, nihil mihi negotii cum eo. Quid dicis homo? Nihil tibi commune cum eo? Frater tuus est, ejusdem tecum naturæ, sub eodem esset domino, sæpe etiam ejusdem participes mensæ spiritualis illius, inquam, et terribilis, et dicis: Nihil commune habeo cum eo? Immisericorditer præteris, et non porrigis jacenti manum? »

IV. Inducit ad hoc opus fructus incomparabilis, quem parit in proximo ad Christum adducto, et refundit in adducentem. Eum explicat Sanctus Jacob. cap. V. cum ait: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ salvabit animam.*

ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum. Igitur imprimis eripit hominem a morte, et quidem æterna, qui proximum convertit, et ut S. Judas, vers. XXIII. ait: *Rapit ab igne, scilicet tartareo.* Quantum istud lucrum est? Certe, si quem hominem ab incendio eripere posses, nihil non molieris: et ereptus quantas tibi gratias deberet? At plus est infinities incendium gehennæ quam incendium unius domus, vita æterna quam temporalis: *Magna res anima, quæ Christi sanguine redempta est,* exclamat Sanctus Bernardus, ep. LIV. Tanti igitur pretii est, quanti sanguis Christi, siquidem eo comparata est. Supra etiam ex Chrysostomo diximus, ne universum quidem mundum æquiparari animæ posse; quia non homo propter mundum, sed mundus propter hominem creatus est. Ad hæc: *Operit multitudinem peccatorum, tam suorum, tum illius, quem convertit;* tum etiam aliorum qui per illum scandalizari poterant. Vicissim vero qui tantum lucri facere culpa sua neglexerit, videat quomodo Deo de hoc rationem redditurus sit. Audiat D. Chrys. orat. I. adversus Judæos ita concionantem: « Quemadmodum non ipsi tantum fures dant pœnas, verum etiam eadem pœna plectuntur ii, quibus cum esset potestas vetandi, non vetuerunt; ita non solum qui impie agunt, verum etiam qui, cum possint ab impietate revocare, tamen vel ob pigritiam vel ob timiditatem id facere nolunt, simili cum illis pœna plectuntur. Alioquin talentum illud, quod acceperat ac defoderat servus ille, reddidit integrum; attamen dat pœnas, eo quod non auxerat lucrum; ita tu quidem, etiamsi ipse purus, innocens perseveres, cæterum non augeas talentum, nec fratrem pereuntem revoces ad salutem, eadem, quas ille patitur, patieris. »

V. Plures sunt modi revocandi ab errore deviantes et ad viam cœli revocandi, nec admodum difficiles. Quatuor potissimum invenio modos, quibus Judæi exhibuere Christo ægros suos.

Primo, alii projecerunt eos ad pedes Domini ab ipso curandos, uti Matth. XV. Hoc faciunt, secundum spiritum, qui peccatores corrigunt, reprehendunt, castigant, quietiam scelerum reos, cum opus est ad supplicia condemnant: hac enim ratione, dum e vivis eos abiciunt, ad pœnitentiam agendam cogunt, adeoque ad Christi pedes projiciunt. Exemplum dedit Samaritanus ille, qui in vulnera sauciati vinum et oleum infudit, impositumque jumento suo, ad medicum perduxit. Vinum asperitatem correctionis notat; oleum admixtam lenitatem. Itaque Samaritanus ille curam adhibuit jacenti, tametsi alienæ gentis homini, tametsi præterierint sa-

cerdos et levita: « Itaque et tu, ne dixeris, inquit S. Chrys. orat. V. adversus Judæos, apud temetipsum: Homo sum mundanus, uxorem et liberos habeo: ista sacerdotum sunt, ista monachorum. Neque eum Samaritanus ille hæc dicebat: Ubi nunc sacerdotes? Ubi nunc Pharisei? Ubi Judæorum doctores? Sed proinde, quasi venatum quemdam maximum nactus esset, ita lucrum arripuit. Et tu igitur, cum videris aliquem egentem curatione vel corporis vel animæ, ne dicito apud temetipsum: Quare ille et ille eum non curavit? Sed a morbo libera. Ne petas ab illis causas negligentiae. Si inveneris aurum jacens, non dicis apud temetipsum: Quare ille aut ille hoc non sustulerunt? Sed festinas ante alios rapere. Itidem et de fratribus collapsis cogita, etc. »

Secundo, alii apportarunt eos in grabbatis, uti Luc. V. paralyticum. Hoc faciunt qui beneficiis, eleemosynis, precibus devincient sibi et Christo aberrantes a salute; quomodo et illi, qui in hodierno evangelio deprecabantur Christum pro surdo et muto. Sic cum Samaritano oleum infundimus vulneribus sauciati. Hæc industria uti solebat S. Serapion, qui primo: « Vendidit se histrionibus viginti nummis; et cum signasset nummos, eos apud se servabat. Tandem autem permansit et serviit mimis qui eum emerant, donec eos fecit Christianos, et avulsit a theatro, præter panem et aquam nihil sumens, neque præ meditatione Scripturarum ore silens: longo autem tempore primus compunctus est mimus, deinde mima, deinde universa eorum familia. » Dictum est autem, quod: « Quo tempore eum ignorabant, lavabat pedes amborum. Ambo ergo baptizati a teatro recesserunt: et cum ad vitam honestam et piam processissent, virum valde reverebantur. Et itaque dicunt: Adsumus, frater, nos te liberabimus, quandoquidem ipse nos liberasti a turpi servitute. Dicit ergo eis: Quandoquidem Deus est operatus et salva facta est anima vestra, vobis dicam mysterium actus. Ego, vestræ animæ misertus, cum essem liber exercitator, genere Ægyptius, ea de causa meipsum vendidi ut vos servarem. Quoniam autem hoc fecit Deus, et per meam humilitatem salva evasit anima vestra, accipite aurum vestrum, ut etiam aliis opem feram. » Rursum: « Cum venisset in loca Lacedæmonis, audivit quemdam ex primis civitatis esse Manichæum simul cum tota domo, alioqui virum bonam. Et rursus seipsum vendidit in primo actu. Et cum intra duos annos ipsum abduxisset ab hæresi, et ejus uxorem adduxit ad ecclesiam. Tunc eum amantes, non amplius habebant tamquam servum; sed tamquam germanum fratrem

et patrem, et Deum laudabant, » apud Rosweid. l. VIII. vit. pp. Quod si vir hic tanta fecit pro conversione proximorum, nos leviora saltem facere studeamus.

Tertio, aliqui ad Christum sola instructione directi sunt; uti magi a scribis et sacerdotibus ablegati in Bethlehem, unde nasciturum Messiam deprehenderant in Scripturis. Ita et Joan. Bapt. suos discipulos direxit ad Christum, cum eum primo turbæ demonstrando dixit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi:* rursus duobus discipulis: *Ecce Agnus Dei,* Joan. I. Quare effectit, ut saltem duo ejus discipuli sequerentur Christum, Andreas cum socio. Ubi imprimis notandum, noluisse Joannem cogere aut impellere discipulos ad sequelam Christi, sed solo indicio manuducere, ut ipsi tantum bonum sponte sequerentur, majore suo merito; satis jam edocti de laude et commendatione Christi, accepta a magistro suo. Primam isti lauream reportant, qui sola voce admoniti veniunt ad Christum et faciunt imperata, designati per Hebræorum principes, de quibus, N. X. ait Dominus ad Moysen: *Si semel clangueris, venient ad te principes et capita multitudinis Israel;* populus prolixiore vel repetito sonitu convocandus erat. Ex hac plebe fuisse regulum illum, qui non nisi signo edito crediturus erat, indicat Christi reprehensio: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.* Vicissim in principum numero computandos esse Sichemitas, qui ad solam Samaritanæ vocem: (*Venite et videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque fecit, numquid ipse est Christus?*) exierunt ad Christum, et rogaverunt eum ut secum maneret, ostendit eorum ad credendum promptitudo, necnon Christi benevolentia, qui ad eorum instantiam biduo cum eis mansit, magno eorum fructu et conversione, Joan. IV. Unde miratur eorum virtutem et promptitudinem S. Chrysost. in eum Joan. locum, hom. XXXIV. « Admirabiles, inquit, extiterunt, et quod crediderunt et quod sine signis et miraculis crediderunt: verba audierunt tantum, et tam certa locuti sunt. Quid si miracula vidissent? Nonne plura et majora dixissent? » Sed nec minus mirabilem, ostendit ibidem Samaritanam, quæ ubi Christum Messiam audiit, mox relicta hydria cucurrit ad civitatem, et annuntiavit ei præsentiam Messie, nullo accepto ad hoc mandato; quietiam posthabito suo decore, quo a Christo notata fuit. Quo exemplo admonemur omnes, non solum docti et religiosi, sed illiterati quoque et sæculares, ut quicumque instruere in re aliqua rudiores valemus, nullatenus omittamus. Viderint qui talentum suum defodiunt, quæ objurgatio eos expectet. Arguet

eos Samaritana illa, arguent leprosi illi, qui deprehensa in castris Syrorum desertis opum et cibariorum abundantia, pro scelere habuerunt, si Samariæ civibus fame pressis id non indicassent: *Si tacuerimus, inquit, et noluerimus indicare usque mane, sceleris arguemur,* IV. Reg. VII.

Deinde, notandum Joannem non semel dumtaxat, sed sæpius suis auditoribus demonstrasse Christum, voce illa: *Ecce agnus Dei,* et aliis similibus: nec destitisse ab hac denuntiatione, donec in carcerem mitteretur; exemplo suo docens, ne facile desinamus adhortari proximum, etiam rebellem, ut tandem respiscat. Laudat hujusmodi instantem adhortationem justus Loth S. Chrysost. hom. XLIII. in Genesim. Is enim, cum invitasset peregrinos duos (angeli erant illi) in domum, illique non acquiescerent, sed in platea se mansuros dicerent, compulit illos iteratis vocibus ad se divertere. « Etiam post tantam exhortationem, inquit, quam fecerat, cum vidit eos renuere, non fuit negligens, neque ab instituto suo destitit, neque fecit, uti nos interdum facimus; qui, si quando aliquem hortari dignamur, et postea videmus parumper detrectantem et renuentem, statim desistimus: id quod contingit, quia extra desiderium et favorem hoc agimus, et maxime quod putamus sufficere excusationem, si dicere possimus, jecisse nos officium nostrum. Amisisti in venatione prædam, aberrasti a thesauro, et tuo functus es officio, etc? »

Quarto, alii ad Christum adducti sunt, uti in hodierno evangelio surdus et mutus, et Marci VIII. quidam cæcus. Hac ratione ad Christum veniunt, qui bonis aliorum exemplis ad pœnitentiam pertrahuntur; quæ ratio longe efficacior est priore: sicut multo potentius alteri persuademus, si viæ duces nos adjungamus, quam si præcise viam manu aut verbis ostendamus. Unde S. Leo, in serm. de S. Laurentio ait: « Licet facillius ad exhortandum sit ratio et efficax ad suadendum, validiora tamen sunt exempla quam verba, et plenius est opere docere, quam voce. » Hac via ad pœnitentiam adduxit S. Marcianus presbyter Constantinop. Ecclesiæ oconomus fraudulentum quemdam monetarum seu trapeziten. « Erat ei familiare intempestæ noctis silentio vicis circuire platearum, ut silentio furtivore benignitatis ubera in pauperes laxaret. Ut vero monetam suis usibus convenientem ad manus semper haberet, aurifabri domum pro vecta nocte frequentabat, qui noctis tenebris et maligno candelæ lumine, ad lucrum occasionem usus, iniqua trutina aureos ponderabat. Marcianus vero scelus et fraudem dissimulans, paulatim hominem in sui admirationem attraxit, adeo

ut magno desiderio caperetur eum cognoscendi, quidnam vir Dei minuta ista pecunia ageret. Dedit igitur cuidam e pueris in mandatis, ut vestigiis ejus callide insisteret. Secutus puer studioso Marcianum observat, et summa diligentia quidnam agat explorat. Vidit ergo et eum, postquam plurimos variis miseris afflictos præsenti pecunia sublevasset, ad mortuum quemdam, in cauponis cujusdam domuncula jacentem ingredi, cadaver magno charitatis studio abluere, et post lacrymas et oscula, vestibus indutum decenter in lecto componere. His visis puer exhorruit, et concito gradu quæ viderat suo magistro renuntiavit. Obstupuit ille tanta viri pietate, gravi in eum admissi sceleris dolore percussus, veniamque cum lacrymis flagitavit. Quem Marcianus benigne amplexatus, nequaquam se ab eo injuria affectum simulare, nec unquam hominem tamquam improbum aversari, quin etiam maximo deinceps benevolentiae studio eum prosequi, » Metaphr. apud Sur. et Lipel. 10. jan. Sed recentius aliud audiamus. Ludovicus Granatensis vir, ex ordine Prædicat. doctrina et pietate conspicuus, circa horam noctis undecimam in cubiculum se abiderat, et magno singultu ac suspiciis editis corpus suum flagellabat, a nemine se exaudiri arbitratus, tum adminiculo noctis, tum etiam temporis intempesti securum se credens. Ecce nobiles duo per plateas, quibus cubiculum Ludovici imminabat, ad locum inhonestam vomitibus destinatum pergentes, audiunt illic verbera flagellorum, quin et devotæ animæ orantis querelas et expostulationes, quibus veluti ab ore concionatoris profectis, in corde et conscientia percussi, pedem fixerunt ad illas melius exaudiendas; valdeque tanto exemplo permoti, se invicem alloquentes: Ah! dicebant, nos miseros! En quomodo bonus ille religiosus flagellis in membra sua, et hoc quidem tempore, sæviat, qui nunquam forsitan mortali aliquo delicto Deum offendit. Et nos peccatores et miseri hac eadem hora ad Dei præcepta violanda contendimus. Non dubium ad nostram confusionem Deum permisisse hæc a nobis audiri: Crastina die, inquit unus, quis religiosorum in hoc ultimo cubiculo habitet, resciam, ut ejus me precibus orationibusque commendem. Sic ambo intrinsecus animo compuncti, et ad meliorem mentem revocati, a perverso resiliere proposito, reversi domum, unde venerant. Ita habetur in ejus vita, c. IV. Possent hac eadem via non difficile reducere ad Christum domini servos suos, et parentes liberos, si eis virtutum præire exemplo vellet. Hæret enim in animis filiorum, quod fieri parentibus vident: inde piorum parentum filii

communiter pii et devoti sunt. Laurentius Justinianus, ut cæteros mittam, Venetiarum decus et patriarcha, adhuc puerulus, mortuo patre, cum videret matrem jejuniis, orationibus et elemosynis vacantem, audiretque ferrea catena ad lumbos cinctam, nec interim disciplinam domesticam negligere; maternæ pietatis æmulus, semper cum ea impubes adhuc agere, clamque sibi lectum sternere, virentiaque ligna pro molliore pluma sibi subjacere cœpit, donec valedicto matri, secutus præterea vocem nocturnam, monasticam vitam complexus est, in qua sic claruit excelluitque, ut et hodie inter beatos insignis habeatur: scriptis testatus est, secutum se veram pietatem, et matris exemplo, et Virginis divinam sapientiam representantis pollicitatione, quæ per somnium illi occurrit. Parentes igitur qui bonos liberos exoptant, non solum verbis illos moneant, sed seipsos tales faciant, quales eos habere desiderant. Hos et horum similes modos lucrandi proximum breviter tangit Divus Chrysostomus, hom. XXX. in Matth. cum ait: « Cum inimicum aliquem veritatis videris, omni studio ac curare eum ad virtutem reducere, primum vivendi exemplis, deinde orationis gravitate, ac postremum patrocinii et auxilii copia. Non graveris omnia emendationis genera percurrere. Imitandi sunt enim boni medici, qui non uno curationis modo utuntur: sed cum viderint primis remediis non esse depressum morbum, alia atque alia rursus excogitant. Quare tu etiam animarum medicus factus, omni curationis modo secundum leges Christi utaris. »

CONCIO II.

SURDI ALIQUOT LAUDE DIGNI.

- I. Qui diabolicas suggestiones non audiunt. — II. Qui probra in se conjecta surda aure pertranseunt. — III. Qui inter detrahentes obturant aures suas. — IV. Qui carnem et sanguinem non audiunt. — V. Qui falsas delationes non audiunt.

THEMA.

Adducunt ei surdum. Marci VII.

Sæpius quidem in Scripturis sacris accusantur surdi et vocantur ad audiendum Dei verbum: non venientes objurgantur, uti ab Isaia, cap. XLII. *Surdi audite et cæci intuemini*: et in evangelio Marci IX. comminatur Christus surdo et muto dæmonio: *Surde et mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo*. Interea tamen reperio legem a Deo datam in v. t. quæ favere videtur surdis. Ita enim legimus, Levit. XIX. *Non maledices surdo,*

quasi et jam surdi inveniantur aliqui, qui nequaquam mereantur vituperium, sed potius laudem. Et certe talis fuit vir secundum cor Dei, David, qui Psal. XXXVII. dixit de se inter calumniatores constituto: *Ego autem tamquam surdus non audiebam*. Quinimo Michæas propheta, cap. VII. prædicat Christianos e gentibus convertendos, surdos evasuros æque ac mutos, ut exponit Sanctius. Ita enim ait: *Videbunt gentes et confundentur super omni fortitudine sua* (quia nihil scilicet poterunt contra fidem Christi ejusque disseminatores), *ponent manum super os, aures eorum surdæ erunt*, quasi dicat: Obmutescant et obsurdescant quando audient in se jactari probra et contumelias, suggereri consilia prava, etc. Tales igitur surdi: utinam juxta hoc Michææ vaticinium simus omnes nos! Quibus vero in rebus potissimum surdos nos esse deceat, nunc videbimus.

I. Surdi boni et laude digni sunt, qui diaboli et mancipiorum ejus suggestiones ac tentationes adeo contemnunt, quasi minime audiant. De tali surdo sub typo onagri dicitur Job XLIX. § VII. *Contemnit multitudinem civitatis, vocem exactoris non audit*. Exactorem dici dæmonem, qui continuo a mancipiis suis exigit nova et nova peccatorum tributa, testatur Isaïas, c. IX. cum ait de Messia, quod *sceptrum exactoris superaturus sit*. Et ita exponit S. Greg. I. XXX. moral. cap. XXIII. in eum Jobi locum: « Quis, inquit, intelligi exactor alius nisi diabolus potest, qui semel in paradiso homini malum persuasionis nummum contulit, et quotidie ab eo hujus debiti exigere reatum quærit? Hujus exactoris sermo est mala suggestionis inchoatio: hujus exactoris clamor est jam non levis, sed violenta tentatio: hic exactor loquitur, cum leniter suggerit: hic exactor clamat, cum fortiter tentat. Clamorem ergo exactoris non audire, est violentis tentationum motibus minime consentire. Audiret enim, si ea quæ suggerit faceret. » Ita Gregorius. Quis vero est onager? Respondet ad hoc idem s. pater, eod. lib. c. XII. « Onager, inquit, qui in solitudine commoratur, non incongrue vitam eorum significat, qui remoti a turbis sæcularibus conversantur. Qui apte etiam liber dicitur, quia magna est servitus sæcularium negotiorum, quibus mens vehementer atteritur, quamvis in eis sponte desudet. » Hujusmodi onager erat in primis S. Antonius, qui in solitudine degens, omnia dæmonum terculamenta flocci pendit ac contempsit, eorumque effectos psalmos, modulationes suaves, necnon Scripturarum eloquia surda aure pertransiit. « Frequenter enim, inquit in concione ad fratres, legentibus nobis quasi echo ad extrema verba respondent. Dormientes

quoque excitant ad orandum, ut totius noctis somnum eripiant. Plerosque etiam, dum se in monachorum nobilium habitu transferunt, monachos coercent, et pristina, quibus concei sunt, peccata imputant. Sed spernendæ sunt eorum increpationes et admonitiones jejunandi, vigiliarum quoque fraudulenta suggestio. » Et paulo post: « Nos autem vestigiis sanctorum inhærentes, eandem gradiamur viam, qui memoratas subtilius fallacias parvipendentes caneant: Cum consisteret adversum me peccator, obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis: » et iterum: « Ego vero tamquam surdus non audiebam, etc. » apud D. Athanasium in vita. Ex qua doctrina habemus melius et efficacius non elidi dæmonis insidias, quam per contemptum, si velut surdi ejus suggestiones aspernemur. Cæterum præstare onagris hoc quidem per facile est, iis inquam, qui terrena omnia pro nihilo ducunt, et solum Deum in solitudine cordis sui quærunt: qui tum Antonio objectum sibi a dæmone aureum et argenteum discum velut cæci et surdi pertranseunt: iis vero qui transitoriis hisce rebus afficiuntur, perdifficile. Propterea dæmon mundanis magis quam religiosis nocet, quemadmodum et milvus nihil potest in silvestres aves, utpote ignavus in pernices: sed in pullos solum domesticos, qui parum volatu et celeritate valent. Quisquis ergo hujusmodi surdus esse desiderat, mundana omnia spernat, cogitet dæmonem puerum esse horridum, nigrum, deformem, imbellem, timidum, qualis et apparuit S. Antonio, qui proinde ei respondit: *Multum ergo despicibilis multumque contemptibilis es, nam et obscuritas tua et ætas infirmarum sunt signa rerum. Nulla mihi jam de te cura est. Dominus mihi adjutor est, et ego exultabo super inimicos meos*. Quo dicto, ille evanuit. Male sibi consulunt, qui cum dæmone disputare aut sermocinari volunt, uti sensit Eva; quæ si ad serpentis sibilum surda fuisset, plane eum contrivisset. Unde S. Ambrosius, in Psal. XXXVIII. ait: *Vicissemus, si Eva tacuisset atque aut Adam surdus fuisset, aut Eva obtumisset: ille, ne vocem suæ uxoris audiret: ista, ne loqueretur marito, et lubricæ vocis ministerio serpentis in virum venena transfunderet*.

II. Qui contumelias et calumnias aliasque injurias in se conjectas surda aure pertranseunt. Optimo enim et nobilissimo modo sic se defendunt, quemadmodum et canum latratus non facilius sedamus quam tacendo et dissimulando: excitamus impugnando. Plus etiam dedecoris habet, qui contumelias infert, quam qui eas sustinet et interim contemnit. Doctorem et coryphæum hujus surditatis habemus Christum Dominum, qui: